Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 135
Quelle:
Copyright:

Et noviſſimus et vivus et fui mortuus.
Sacramentum ſeptem ſtellarum.
Candelabra aurea.

II. *fol.* 26. *Incipit commentum ſuper apokalipſin.* Duplici Praefatione munitum, quarum prior inchoat: *Johannes Apoſtolus et ewangeliſta in pathmos inſula relegatus a domitiano principe propter inſuperabilem ewangelizandi conſtantiam* &c. Altera: *Merito legendus eſt iſte liber qui eſt apokalipſis. i. reuelatio ad ueſtram ſalutem data* &c. Commentarius ipſe exorditur: *Ego iohannes non hereticus non ſubdolus. ſed cui bene credendum eſt. quia frater ueſter ex deo patre* &c. Sub finem C. XIII. de Antichriſti nomine haec tradit: Teitan *greco nomine dicitur quaſi* tytan. *i. ſol. quia ueri ſolis ſibi nomen aſſumit. In hoc uerbo greci inueniunt numerum illius nominis quod antichriſtus aſſumet.* In C. XXI. v. 2. abrumpitur *Codex*, qui fortaſſis ad calcem nomen Autoris prodidiſſet, quod hactenus inquirentis diligentiam eluſit.

LXIII. VIII H. 28.

757 Codex partim membraneus, partim chartaceus Sec. XIV. Folior. 138. 8. non una manu exaratus, rubricis diſtinctus et olim, ut praenotatur, *Conuentus fratrum ſancte Crucis Domus Colonienſ.* continet ſequentia: I. Textum *Apocalypſeos* reſcriptum in membrana, cui prius inſcripta fuerat *Grammatica* quaedam, ut veſtigia retegunt.

Et nouiſſimus et fui mortuus.
Myſterium VII. ſtellarum.
Candelabrorum aureorum.

II. *fol.* 9. Enarrationem in *Apocalypſin*, cujus hoc initium: *Johannes apoſtolus in pathmos inſula relegatus a domitiano principe propter inſuperabilem ewangelizandi conſtantiam et ibi variis tribulacionibus affectus* &c.

III. *fol.* 48. Aliam ejusmodi Enarrationem, quae incipit: *Apocalipſis ihesu chriſti &c. Apocalipſis reuelatio dicitur. Vnde dauid. Reuela oculos meos &c. Oculi eccleſie ſunt apoſtoli* &c. Prior harum Enarrationum jam *Cod.* praeced. relata eſt, Poſterior vero in C. XVIII. abrumpitur. Autores in magno *Apocalypſin* exponentium numero non reperi. Atque hactenus Membrana. Sequuntur in charta:

IV. *fol.* 74. Sententiae lectae e *Seneca* Phil. *Socrate*, *Ariſtotele*, *Platone*, *Diogene* &c. quibus quid ſimile ſub Typographiae primordia titulo *Autoritatum Philoſophorum* non ſemel vulgatum eſt.

V. *fol.* 79. ſine nomine Autoris Tractatus Moralis de Virtutibus et Officiis Vitae, cujus initium: *Moralium dogma philoſophorum per multa diſperſum volumina tuo quidem inſtinctu vir optime et liberalis contrahere meditabar. Dumque primo conticinij ſilencio pro hac re ſcrutabundus memo-*